

fidei, iis tamen fundis quos de vestro assensu et voluntate ad vitae nostrae sustentationem necessariam donec illam nobis prorogaverit omnipotens reservavimus exceptis, non vi dolo astu fraude nec sinistra aliqua machinatione circumventi, sed ex certa nostra scientia et spontanea et libera voluntate, omnibus melioribus virtute modo et causa et forma quibus possumus et debemus coram praesenti hoc notario et testibus septem fide dignis ad hunc solennem et publicum actum specialiter rogatis et requisitis ad manus vestras, ut penes quos ex antiqua et hactenus introducta et constanter observata consuetudine aliam idoneam satisque qualificatam personam in nostrum locum vel eligendi vel substituendi ius atque potestas pertinet, resignamus eiusque iuribus omnibus et singulis, quae hucusque ad nos spectarunt vel in posterum quacunque ratione vel modo spectare ad nos possent, in forma iuris optima renunciamus vobisque bona fide et iuramenti quoque loco promittimus, nos hanc spontaneam et liberam resignationem nullo unquam tempore revocare velle, ita tamen et non aliter, ut pro recepta a nobis stipulatione illustrissimo principi ac domino domino Augusto electori Saxoniae domino nostro clementissimo gubernatio eius ad certos annos in commendam detur, qui huic muneri ad dei potissimum gloriam et ad subditorum quoque salutem et commodum ut longo tempore praesit faxit idem ille, in cuius nomine resignatio et renunciatio quoque haec a nobis iam facta est, deus nempe pater cum filio suo unigenito spirituque sancto benedictus in secula seculorum. Huius etiam protectioni divinae vos omnes et singulos, consilia item vestra atque adeo res et actiones vestras omnes commendamus vobisque ut confratribus et amicis nostris charissimis omnia humanitatis et verae benevolentiae officia ultro pollicemur et promittimus. Dixi.

Senff a. a. O. S. 336 ff. Lünig RA. Spic. eccl. Cont. I. Anhang S. 99 f. Calles ser. epp. p. 361 ff.

No. 1491. 1581. 20. Oct.

*Notariats-Instrument die Verzichtleistung des B. Johann IX. auf das Bisthum betr.*

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quingentesimo octuagesimo primo indictione decima regnante serenissimo et invictissimo principe et domino domino Rudolpho eius nominis secundo Rom. imperatore augusto — die mensis Octobris vigesima hic in arcis Wurzensis bibliotheca, quae ad aream arcis spectat, in revcrendorum non generis solum nobilitate verum etiam sapientia eruditione plurimarumque virtutum praestantia ornatissimorum virorum ac dominorum, domini senioris totiusque cathedralis ecclesiae Misnensis capituli et mei notarii publici testiumque infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum praesentia personaliter constitutus est reverendissimus in Christo princeps et dominus, dominus Johannes IX. episcopus Misnensis dominus meus clementissimus tenens et habens in manibus suis chartam sive schedam, in qua mens et voluntas suae celsitudinis erat conscripta. Cumque illam praedictis dominis capitularibus clara alta et intelligibili voce praelegisset, eam statim postea mihi praememorato notario cum speciali mandato cuius infra mentio fiet in manus meas tradidit: Nos Johannes (No. 1490.) Dixi.

Post quam quidem recitationem eorum, quae in supradicta charta erant comprehensa et in hoc publico scripto ut patet ex speciali mandato de verbo ad verbum fideliter sunt repetita, reverendi domini de capitulo episcopatus Misnensis resignationem nominatam et renunciationem quoque omnium et singulorum iurium ipsius exceptis tamen excipiendis sic ut praefertur admittebant duxerunt et statim re quoque ipsa admiserunt, saepe nominato reverendissimo domino episcopo pro suo et erga ecclesiam et rempublicam quoque, quem multis in rebus experti essent, amore et studio singulari proque multiplicibus in se omnes et singulos privatim collocatis beneficiis reverenter gratias agentes seque illius benignitati in posterum quoque commendantes. Atque haec omnia et singula acta sunt anno, indictione die mense hora et loco quibus supra in prae-